

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Politische Urkunden von 1332 bis 1380

Witte, Hans

Straßburg, 1896

1334

[urn:nbn:de:bsz:31-326758](#)

ANHANG I.

Nachträglich aufgefundene und schwer einreihbare Stücke.

1402. Propst und Capitel von Jung s. Peter treffen Bestimmungen über den Besitz der curiae claustrales. 1334 Mai 9.

In nomine domini amen. Ut in ecclesia nostra s. Petri antiquus ille aboleatur abusus, quo uni canonico sub colore feudi vel census sive prebende plures licebat curias habitationesque juxta ecclesiam ipsam sitas insimul retinere non sine magno dispendio multorum canonicorum prebendariorum curiis hujusmodi carentium et gravi etiam scandalo laicorum, nos Nicolaus de Kageneck prepositus ecclesie s. Petri Argentinensis predicte sollicita consideratione hec in animo nostro multis retroactis temporibus revolentes, impetrato ad hoc canonicorum specialiter in modum capitulo collectorum consensu, tale remedium predicto abusui duximus adhibendum, ut quilibet [curia], que duodecim sunt numero, quarum hucusque tantum⁸ octo claustrales fuerunt, inantea sit claustral, ut nullus canonicorum plures ex ipsis simul habere valeat; sed una habita, si altera fuerit sibi adoptata, quam cito eam vacare contigerit, si ante ejus vacationem prima alteri adoptata non erat et secundam vacantem adipisci voluerit, prima curia post talem adoptionem vacet omnino, per prepositum alteri conferenda, aut si prima curia ante secundam vacationem alteri adoptata extitit, eadem cedenda. Et quia inter curias ipsas, que prius non fuerunt claustrales, due feudales fuerunt, una videlicet sita in cimiterio ecclesie s. Petri juxta puteum in ipso constitulum, contigua ab una parte curie prebende sacerdotalis, nominata prebenda sculteti, alia vero sita in strata communi inter duas claustrales curias tendens retro ad pistrinum ecclesie s. Petri et juxta ipsum pistrinum retro habens iter et ostium ad vicum, in quo idem pistrinum est situm, quarum

a) Verl. tamen.

curiarum cuilibet onus cohorebat solvendi ecclesie nostre pro servitio in refectorio tres libras denariorum Argentinensium annuatim, quas curias Wetzelo de Grosteyn canonicus noster tanquam feudales cum hujusmodi onere simul possedit: sic de ipsius Wetzelonis consensu decrevimus, quod curias ipsas in manus nostras resignet. Quas etiam taliter resignavit, ut ipsas canonicis prebendatis, quibus voluerimus, pro claustralibus curiis assignemus, salvo tamen jure conductionis pro annua pensione sex librarum denariorum Gotzoni militi de Grosteyn curie in strata site predice sub certis conditionibus in ipsa conductione appositis inter eundem militem et ecclesiam nostram ad tale spaciun temporis, quod ex statuto nostro apponi licebat, dummodo ad hujusmodi conditions per litteras autenticas ecclesie nostre se obliget, ut promisit; ita quod hujusmodi canonici ipsas curias adepturi predicta onera solvende pensionis supportent, solvendo videlicet de curia in cimiterio tres libras in die beatorum Petri *Juni 29.* et Pauli apostolorum et de curia sita in strata etiam tres libras in festo seu die *Juli 21.* s. Arbogasti. Et nihilominus cujuslibet earundem possessor ipsi Wetzeloni quamdiu vixerit tantum unam libram denariorum Argentinensium annuatim persolvat, mediata- *Junij 21.* tem videlicet ipsius in festo nativitatis beati Joannis baptiste et aliam medietatem *Dec. 25.* in nativitate domini servatoris nostri eodem anno. Item predictarum curiarum non claustralium tertia fuit censualis et sub titulo possessa nomine prebende, quam nunc obtinet Conradus Sculteti canonicus et portarius noster, sita in dicto cimiterio nostro contigua curie monasterii de Mauromonasterio, quam interveniente consensu *20* ejusdem Cunradi et totius capituli nostri etiam claustraliter presentibus constituimus. Et ipse Cunradus eam, cui voluerit, pro curia claustrali valeat adoptare, ita tamen, quod in recompensam hujusmodi curie, que ipsi prebende census nomine adhære- bat, quilibet alter canonicus prebendatus ipsam curiam adipiscens eidem prebende perpetuo annis singulis quatuor libras denariorum Argentinensium, duas videlicet in *25* festo beati Joannis baptiste et alias duas in festo nativitatis domini de ipsa curia dare et solvere teneatur. Hoc tamen expresse acto et predice nostre ordinationi apposito, quod pro exoneratione predictarum curiarum et trium librarum de dictis curiis feudalibus ac quatuor librarum de curia antea censuali predicta ut premittitur solvendarum liceat quibusunque canonicis ipsas obtinentibus tot redditus in civitate *30* Argentinensi de areis emphiteotico jure solvendos simul vel particulariter subrogare. Et [ut] ad hujusmodi subrogationem et ipsarum curiarum exonerationem prouiores reddantur, statuimus de consensu quo supra, quod ecclesia nostra de communi ad quoslibet redditus unius libre taliter subrogandos tali canonico subroganti quatuor libras contribuere teneatur. Attamen est etiam in ordinatione presenti appositorum, *35* quod nos prepositus antedictus curia ipsius prepositure, quam inhabitamus, existentes contenti et nostri quilibet [in] ipsa prepositura successores curiam claustralem sitam juxta chorum, quam etiam ex adoptione quondam Heynrici scholastici dicte ecclesie sumus adepti, alteri debeamus canonico adoptare, salvo tamen jure conductionis ipsius cu- *40* rie strenuo militi Nicolao des Grosteyn pro annua pensione septem librarum de- nariorum, dummodo ad modos ad ipsam conductionem adpositos nostre se ecclesie adstringat, salvoque nobis jure percipiendi censem eundem de ipsa curia quamdiu vixerimus, ita quod nobis ab hac luce subtractis vel censem eundem de ipsa

